



Franc Pariz de Papa

Dispvtatio
Tribus Consiliis

Medicis

1674.





ára 8 M[£]

Ludwig Rosenthal 23/II 908

R. M. Dr.

III. 615/6 Szabó III f. 2646

9

17
duly
23/11/908

DISPUTATIO IN AVGVRALIS
TRIBUS CONSILIIS
M E D I C I S
absoluta,

Quam
ΘΕΟΥ ΜΕΓΑΛΟΙΟ ΕΚΗΤΙ
AVTHORITATE ET DECRETO
MAGNIFICI ET AMPLISSIONI
Ordinis Asclepiadei
PROCERVUM
In inclyta & antiqua Vniversitate
RAVRACORVM

Pro
*Summis in Arte Medica Honoribus, Privilegiis
ac immunitatibus Doctoralibus more
majorum ritè consequendis*

Publico, placido Eruditorum
Examini, censuræ, testimonio exponit

FRANCISCUS PARIZ de Pápa,
Emerici F. Transylvano. Vngarus.

Ad diem 9 octobr. ANNO CLX LXXIV.

H. L. Q. S.

(8) (0) (9)

B A S I L E A E,

Typis JOH. RODOLPHI GENATHI.

SPECTATISS. EXPERTISS. EXCELLENTISS.

V I R I S

D. D. JOH. CASPARO BAVHINO, Practices Professori Consummatiss. Universitatis Seniori graviss. Facultatis Decano digniss. Christianiss. Regis & variorum S. R. I. Principum Medico celeberrimo.

D. D. JOH. RODOLPHO BVRCHARDO, Theorices Professori Eruditiss. Clarissimo.

D. D. JOH. HENRICO GLASERO, Anatom. & Botanices Professori Dexterrimo Fidelissimo.

Inclytæ Facultatis Medice Basil. luminibus.

N E C N O N

R O B I L I S S. E X P E R I E N T I S S I M O Q. V I R O

D. D. PAVLO AMMAN, in alma Lipsiens. Universit. Botanices P. P. Clarissimo, Facult. Medic. Assessori & Collegii B. Mariæ Virginis Collegiato & Præposito.

U T E T

C L A R I S S. E X C E L L E N T I S S I M I S Q. V I R I S

D. JOH. JACOBO HOFMANNO, L. A. M. Græcæ Ling. in Universit. Basil. P. P. Theologo, Philosopho & Philologo expeditissimo.

D. PAVLO TSERNATONI, L. A. M. Mathem. & Historiarum in Illustri Principum Transylv. Collegio Albensi nunc Nagy-Enyedini hospitante P. P. longè meritissimo.

*Omnibus his Preceptoribus, Fautoribus, Studiorum, mediorumq.
magnis Promotoribus, eternam colendis.*

V I R O I N S V P E R

E X P E R I E N T I S S I M O, C L A R I S S I M O,

D. BALTHASARI KISSELBACH, Phil. & Med. Doctori & Collegii Superioris Basil. Præposito, Dn. & Hospiti omnibus officiis prosequendo.

Hanc gratitudinis Tabulam figit



A V T H O R.



V I R I

SPECTATISSIMI, EXPERIEN-
TISSIMI, EXCELLENTISSIMI.

Ur inaugurales Theses meas vobis
inscribam, rationes non dicam multis, & a
μονεσις δίκαια τείτη Αρχοντει, respondebit
Thebanus ille. In ære vestro sum multiplici,
cui aut diu immorandum aut omnino immoriendum
esse mihi facile conjicio. Hæc Tabula ergo si non li-
beratoria, saltem confessoria esto, μηλαι δέ οδοι σωθεών
& περγαλα. Hodiernus adhæc dies severam frugis meæ
rationem exigit, fructus quisquis est, agri à Vobis mol-
liti est, paucus is quidem & quasi hornotinus, qualis-
cunque tamen ex semiente vestra surrexit, vestra deme-
tendus falce. Vocor insuper in arenam, descendo θεῶ
πίνων, & adversarios ultrè ad hastas hortor Teucer
sub Ajacibus. Cur consultandi morem post aliorum
plenas laudes commendem non video, sesquiannum
in hoc genere exercitii sub Venerando Viro D.D. Joh.
CASPARO BAUHINO, quem Deus Opt. M. tanquam
ἐρευνα iateμην gentilitiæ diu incolumem servet ! cum
pluribus aliis versatus ; si enim hoc præ aliis exercitium
placuit Viro, abundè est commendatum. Affectus Mu-
lierum meritò examino, hac in parte infelicium, quod
cum omnes Virorum affectus ex æquo participant, his
serè æquale insuper ac à Viris secretum familiare super-
pondium obtinuerint, hinc est, quod communium af-
fectuum gnarus mulierem nihilominus ignorare pos-
sum.

sum. Adeò ut haud abs re monuerit τὸ φῶς ιατρῶν lib.
περὶ γυναικ. Φύσ. Μάλιστ μετὰ τὸ Θεον σὺ τῶν αἰθέρων
αἴτιον εἶνα. ἐπειδὴ αἱ Φύσεις τῶν γυναικῶν. Ad eis ergo
coepitis Deus omnis Hygieia & Panacea Pater , Deus
benedicite in secula.

CASUS PRIMUS

Propositus

ANNO M DC LXXIV, xvi. Julij.

MUlier annos nata XXX. habitu corporis & exteriori,
facie rosea, venis amplis, quotidie cibo potuig, sepe
largius invitare solita, longis adeo menstruis pur-
gationibus obnoxia, ita quidem ut ordinarium profluvium
menstruum esset dierum VII. & dies intermissionis
XXII. Nuper cum marito peregrine profecta iter longum
fecit aere pluvio eoque frigidore usa, pro hospitiorum com-
moditate vel incommmodo dietam variare coacta est: In-
terim purgationis periodice tempus adest, & multò secius
quam solebat, substillum quoddam, non profluvium san-
guinis experitur; hoc tamen nihil morata in itinere per-
rexit nihil gratiore tempestate usa, & rediit. Tertia jam
periodus adest, sed ferè nihil sanguinis reddit, nec ulla
ingravidationis ratio remoram excusat, molestiae in-
terim ingruunt non paucæ: perit sensim appetitus & ob-
repit nausea, dolor in lumbis gravans, laxitudo artuum
tanquam plumbeos circumferret, molesta est. Urina cruda
& pulsus debilior. Vigorem pristinum desiderans petit
Consilium.

C O N S I L I V M .

I. Tria sunt Muliebrium excrementorum genera :
Duo Naturalia, tertium contra Naturam. Contra Naturam
est

est Prostervium mullebre *τελούσι* sic dictum & à colore vulgo
album. Naturalia sunt Lochia & Menstrua; Lochia quidem post
partum, Menstrua vero ante partum pari ferè temporis in-
tervallo fluentia, tanto nempe Lochia post, quanto Menstrua
ante partum. Diversissima autem est horum omnium flu-
xuum conditio; Fluxus enim albus, cum contra naturam sit,
non omnes tangit, nec periodos attendit, nec modum; sed
copiosior cæteris & acrior confertim prorumpit. Lochia ma-
trum propria, at non omnes nec semper pariunt. Menstrua
omnes æqualiter manent, nuptas, innuptas, matres, steriles,
mensura modoque constringuntur, justa enim quantitas
Hippocratis *τελούσι*. sunt *πρότυτας* *θέματα* *άριθμοις* *η διάτομα* *τοιχία* *η έλάτ-*
οντα, id est, *ζετριγιά*, plus minus. Duratio justa juxta eundem
iφ ημέρας θέμα η τρεῖς, nec unquam impunè in corpore latere
possunt, nec diu, sed ad minimum per trimestre spatium
exsplendescit vis suppressorum mensium per exercitum
quasi symptomatum. Videmus hoc postremum vitium fe-
cisse in paciente nostra, quale autem & quomodo methodi-
cè, ne quid effugiat, deducendum.

II. Inchoandum autem à Temperamento, quod qui-
dem natura calidum & humidum, vulgo sanguineum esse,
ætas, color faciei in roseum à sanguine efflorescens, corpu-
lentia à calido & humido prædominante, amica & nativa
Animalis temperie imò Charactere, hinc Galenus: *Σωματικά φύ-*
στικά συναρτήσεις μηδετέρου. Venæ amplæ à calore dilatatae, τῷ θερμῷ
τοῖς λεγούσιν αὐδονοῦσι τοις οὐδέποτε τοις. ait idem c. 9. l. 2. *de temp.*
cibi potusq; integer appetitus ut & ordinarium menstruum
prostervium sat diuturnum, vij: quippe dierum, quod mu-
lierum mulierissimarum est, cum mediocres tribus vel
quatuor, & viragini duobus purgentur, satis persuadent:
sed iter contrà longum, diaeta interim mutata eaque varia,
tempestas frigida & humida, ad pituitæ collectionem non
mediocriter eandem disposuerunt.

III. Querela est de symptomatum variorum quasi
exercitu, quæ tanquam malorum quædam Lerna uterus ad
partes misisse videtur, *αἱ γοτὲ οἰστέας μάνιν τὸν μονομάτων αἰνεῖς εἰσὶν*
Hipp. *τελούσι*. Et revera, juxta Heurnium, uterus dum
præsertim procreationi non studet, omnis fœditatis mulie-
bris

bris corporis non puri receptaculum est. Affectus verò uteri primarius qui dicta symptomata tanquam corpus umbram projicit, est partim morbus intemperiei, partim verò malæ conformatio[n]is: Intemperiei quidem frigidæ & humidæ, organi autem vitium angustia est, obstructio nempe meatuum seu vasorum uteri, in specie venarum per uteri corpus dispersarum, non earum, quæ à vena spermatica mittuntur, sed quæ à cavæ ramo Hypogastrico sparguntur, quæ majores illis sunt, quarumque oscula uteri cavitatem subeunt, quæ Coryphæis Artis Cotyledones seu acetabula dicuntur, menstruorum expurgandorum & embryonis alendi organa. Quibus meatibus obsessis malum secutum est, quod symptomatum accusatorum agmen dicit, estque symptoma in excretis, suppressio nempe mensium.

IV. Cùm verò omnis horum vasorum obstructio fiat, vel à copia, vel à materia excernendæ crassitie, vel à facultatis expultricis imbecillitate, hujus obstruktionis causam continentem, siquidem nec ætatis effœtæ, nec lactationis, nec morbi antea eti consumentis ratio excusat, comperio esse humores pituitosos lento[s], & quia satis calida aliàs est temperie, in spissitudinem coctos, eosque copiosos, qui uterum perfundendo dictam intemperiem sovent, vias verò obſſidendo, sanguinem superfluum ab exitu prohibent. Causa antecedens seu ~~προτερη~~ videtur esse similis dispositio tam ventriculi quam Hepatis itemque horum vitiò generatæ cruditates plurimæ ac per totum corpus fusæ, quæ secundum reſtitudinem & vasorum ductum descendentes & in uterum receptæ propter debilem partis calorem ibidem constitèrè; omnis enim ~~πανογόνια~~ Galeno c. 6. l. 13. m. m. iſi τῆς ζωὴς ἡ μελάνης ζολῆς ἡ τὸ φλιγμός τὸ πλεονέκτεια. Causæ externæ quæ & viscera hoc modo disposuerunt & externè corpus ambiendo alterarunt, fuerunt, primò ingrata illa madida & frigida tempestas in qua iter fecit, Aér cum primis partim inspirando partim transpirando noxius, qui & visceribus hanc labem afflare, & insimul forinsecus corpus alterare porosque claudere potuit, idque eo magis quod menstruum debitum eodem tempore pendendum erat, unde hiantia uteri acetabula aér frigidior circumfusus facile subiit. Accessit cum vehe-

vehementi satis symbolo virtutum diætæ, ejus quotidie iterata facta mutatio, ob id adeò, quod jam ante genio indulgere solita quodlibet appositum promiscue ingessisse facile credatur.

V. Patet ex his ratio symptomatum : Hinc appetitus dejicitur ablato per cruditates ventriculi tono & calore debilitato, ut ferè sit in pituitosis vel naturâ vel p. n. Hinc inanis nausea à pravis & ventriculo molestis viscidis tamen humoribus. Pondus in lumbis à pigra ibi stabulantis suppressi sanguinis sarcina. Lassitudo artuum ab impura plethora & spirituum penuria. Urina cruda propter turbatas & imminutas à calore nativo debili coctiones, qui aliàs simul coquendo substantiæ mediocritatem molitur. Pulsus debilior ob impurum & spiritibus orbum sanguinem.

VI. περὶ νοσῶν quod attinet, dat eam compendio Medicorum polus V. aph. LVII. Καταπλωιανὴν γνωρίμων δέποτε τὸν ὕστερον εὑρεῖν, dat malō suō ægra nostra, præsentia enim symptomata quibus stipata est, abundè ostendunt. Sed metui possunt majora, cachexia, hydrops, haemoptysis imò phthisis, imò inflammatio hepatis, asthma, imò cancer uteri, mammarum, synochus putrida, febris ardens &c. Eadem enim necessitas incumbit mulieri non fœtæ vacuandi sanguinis, quæ viro mutilato, stagnans enim putreficit. Quin etiam sterilitatis metum non abs re incutit hæc suppressio ἀνδρὸς φύλος τῷ αἰματὶ τοῦ οὐρανοῦ τὸν γενετικὸν, καὶ τὸν μήτερον αἵματος συνιατὴν πατέσσι τὸν μητρόν. ὁ, πάντοκαλύτης τὸν γενετικὸν τείχος, inquit Hippoc. τοῦ ἀφορῶν. S. IV. In tempore itaque occursum & curæ ιγνείσης instituenda juxta indicationes & præsidia sequentia.

VII. Indicatio curativa respectu obstructionis est inutilis, nulla enim ei βοηθητικὴ materia respondet, respectu vero intemperiei frigidæ cum materia utilis, & docemur eandem alterare calidis & siccis, causamque continentem humores pituitosos lentos incidere, attenuare, vacuare. Indicatio præservativa jubet itidem viscera tam chylo quam sanguini elaborando dicata ad suam temperiem vocare, materiam cacochemiæ in corpore exsuperantem & distas turbas dantem pituitam præparare, vacuare, & τὸν λιθεῖον τὸν

monet Galen. in aph. 25. lib. 2.
Indicatio vitalis seu Conservativa vires præcipue oppressi
cordis robore & diætam reformare suadet. Quæ omnia
adimplenda suo ordine, non per quælibet contraria, sed per
appropriata parti.

VIII. Ex fonte Chirurgico, præmisso clystere mox
dicendo, quia naturâ sanguinea est, ad accidendum humo-
rum copiam, quò natura quod reliquum est facilius subigat,
medio menstruæ periodi tempore fecetur vena brachii alter-
utrius simplicis vacuationis gratiâ, periodo vero instantे
revulsionis gratiâ vena malleoli, corpore prius præparato
& purgato, inò duabus vel tribus ante solennem vacua-
tionem menstruam diebus Cucurbitulæ femoribus sine scari-
ficatione applicentur eadem intentione.

IX. Ex fonte Pharmaceutico, materiam pituitosam
incidendi, attenuandi, revellendi & aperiendi causâ clyster
sequens mox injiciatur: R. Rad. Lil. alb. Altheæ, Irosana 3vj.
Rad. Fenic. Apii ana 3ß. Herb. Puleg. Calamint. Matric. ana M.j.
Bacc. Lauri, junip. ana 3ij. Sem. Cumini. Carvi ana 3ij. Flor. Calend.
Leuocii ana p.ij. Coq. in aq. comm. Colat. R. 3x. in quib. diffalv.
Benedict. laxat. ol. lil. alb. sacch. rub. ana 3j. terebint. cum vitell.
ovi sol. 3ij. f. l. a. Clyster. Pro postridiana purgatione vesperi præ-
paretur incidendo materia, R. Cremoris Tartari 3j. Tartari vitriolati
3ß. sumat in justulo duabus ante canam horis. Postridie purgetur:
R. Fol. senn. mund. 3ij. Rhabarb. el. 3j. Agar. rec. troch. 3ß. Sem.
Anisi. Crem. Tart. ana 3ij. Spicæ 3j. Aq. melis. puleg. ana q. s. stent in
infus. per noctem, mane in colat. s. ebul. 3ij. solve sirup. Ros. sol. simpl.
de artemis. ana 3ß. d. cum custodia, pro ratione effectus poterit
hæc potio iterari. Ad ventriculum & Hepar roborandum
utatur Electuario seq. quotidie ante cibum n. m. magnitud.
R. Conserv. fl. beton. anthos ana 3vj. acori cond. 3ß. Zingib. cond.
3j. spec. arom. Caryoph. Diatr. Santal. ana 3ß. cum sirup. de V. radi-
cibus f. l. a. Electuar. molle. Pulverem autem emmenago-
gum sequentem quotidie jejuno stom. assumat in vino mal-
vatico ad 3ß. R. Croci Mart. aperit. 3iv. Caſta lign. vera 3ß, bor-
rac. venet. 3j. f. Pulvis. Externè conveniet semicupium ad
laxandas vias R. Rad. alth. lil. ana 3ij. Herb. Artemis. Cala-
mint. Matric. Mercurial. Puleg. Sabin. ana M. ij. Bacc. junip. laur.
ana

ana 3.ij. *sem. Cumin.* *Carvi ana* 3.ij. *Incis.* & *contus.* *d. species pro semicup.* & *in egressu regio pubis inungatur linimento seq.* *R. Oli.* *lil. alb.* 3.j. *Chamam.* 3.ij. *Pingued. gallin.* 3.j. *Pulv. Croci, Sabin.* *myrrb. ana* 3.j. *Cerae nove q.s. f.l. a. Linimentum.* *Ad acetabula aperienda indatur pessus ex Foliis Mercurial. contusis & in tenui linteo ligatis, suffitius monitore sene muliebria ciet, qualis esse poterit sequens:* *R. Myrrha electa* 3.ij. *Benzoin* 3.j. *Fol. Sabin.* 3.ij. *f. Pulvis,* *ex quo prunis injecto excipiatur fumus per sellam perforatam, cautè tamen & parcè, tenera enim acetabula facilè exarescunt.* *Purgato corpore acidulæ internè, externè thermæ sulphureæ convenient.* *Indicationi vitali satisfaciet Electuarium sequens,* *R. Conserv. fl. beton. melij. ana* 3.j. *Rad. Enul. condit. cortic. citr. condit. ana* 3.ij. *Extradì croci gr. v. sirup. de artemis. q. f. f. l. a. Elect. ad formam opiatæ, dosis magnit. nucifæ.*

X. Ex fonte Diætetico. Victus sit tenuis & incidens. Cibi condiantur capparibus, petroselino, fœnic. Carnes tenuis substantiæ, juniorum animalium, elixæ potius quam assæ, aromatisentur Cinam. Croco, caryoph. Vinum tenue, album, vetus, simplex vel cum speciebus suprà dictis medicatum, addito abortano. Exercitia ante cibum convenient. Alvus quotidie respondeat, & quoad animæ passiones ~~undem~~ ayav. Hæc habui quæ de præsenti casu dicerem.

CASUS SECUNDUS

Propositus

Anno M DC LXXIV. xi. Junii.

Matrona quadragenaria, benè habitâ, colore faciei rubicundo, cibis euchymis & eupœptis usa procul curis, ante biennium maritum amisit, & vixit vitam cælibem. Jam à bimestri spatio (ex quo etiam menses non fluxerunt ut & tertio ab hinc mense nimis parcè) ei facies defædatur, sensus hebetantur, totumq; corpus torpescit. Hodie verò sumptò prandio post crebras oscitationes vix

sese in lectum conjecit, dum ecce fauces suffocantur, in hypochondrio specie globi aliquid volvi sentitur, adeò ut nunc jaceat sine sensu & motu, pulsus adeò debilis, ut vix sentiat, respiratio ad sensum nulla. Frictiones asperæ illico instauræ sunt extremonum & suffitus graves, nec non vena pedis secca est & inflato in nares pulvare ex Euphorb. Helleb. Castor. aliquoties sternutavit, oculos aperuit & reliqua symptomata remiserunt, rugitus tamen ventris, dolor capitis & palpitatio cordis manserunt, & ex utero mador quidam lentus effluxit. Patiens & adstantes non satis fidunt, sed paroxysmi redditum metuunt, adeoq; consilium quod tam extra paroxysmum ad præservandum, quam in paroxysmo, si rediret, sequantur, sollicitè petunt.

C O N S P L I U M.

I. Laudat Pindarus πνθ. δ. iατρον ιπηγιεζετο, & sanè occasio ipsa est anima curationis; frustra enim de curatione transfigitur si ea inanis futura sit, καὶ μάταιον ἦν οἰστρόν τοῖς ιδιώταις τὰ πολλὰς σωζόνταις Βοηθίαται monet Galenus. Prudenter ergo nobis attendendum est, quomodo ipsa Medicæ præeos triga ἀνάμνησις, Αἰσθησις & αἰσθησις circa affectam matronam, in qua tam nobiles actiones periclitantur, vel ad curam invitet, vel ab ea revocet. Quia verò vicissim juxta Biantem, unicum principium benè consultandi est, nōsse de quo instituatur oratio, ad rem.

II. Ætas, color, habitus & diæta de temperamento calido & humido non obscurum testimonium prohibent, at consequens in cœlibatu mœror & consuetarum evacuationum intermissio, calore nativo oppresso, pituitæ collectioni non levem ansam præbuit, idque eò magis, quod cum hic facultates vitales non mediocriter laborarent, ibi nihilominus consuetæ mensarum lauticiæ procederent; unde illam sic consideratam sanguineo pituitosam saltē ex degeneratione, vocare non vereor.

III. Queruntur adstantes de symptomatum agmine & diversis quidem in partibus, facultatumque tam animatum quam vitalium non mediocri sufflamine; partem tamen

men primariò affectam uterum esse & partes ei inservientes tam antecedentia quām consequentia perhibent, quia hunc affectum in vita cœlibe primum passa est, nec unquam antea, idque suppressis menstruis, idem consequenter docet solutio primi paroxysmi excreto mucore lento per uterum facta. Nec caput vel hypochondrium primariò accusandum video, quamvis & illa hoc vitium satis luant, nisi forte & clavus in pede cerebri morbus sit, quia tristis sensatio ejus operatur. Consequenter verò ut hypochondriaca ita pulmonaris vel laringea & œsophagæa hæc suffocatio dici poterit. Affectus ipse est valde complicatus, symptomatibus actionum animalium vitaliumque lærarum, excretorum & qualitatis mutatae comitatus. Quæ omnia tamen commodè & necessariò ab uteri morbo tam intemperiei quām organico deduci queunt. Intemperiei quidem tam manifestæ quām malignæ; vitium autem organicum obstructio est. Hinc vulgo generalius *Passio Hysterica*, & à gravissimo symptomate comite *Hippocrati* πάσι, προσ, πατέειν, suffocatio, præfocatio & strangulatus uteri dicitur.

IV. Causa continens mali hujus videtur esse primò semen superiorum annorum fériis copiosè congestum & morā putrida labē acquisita peculiariter corruptum, & malignum. Nec valet effugium ad ovaria Kerkeringii, quasi hæc à nobis frustra dicerentur postquam mulieres non semen sed ova ponere deprehensæ sunt, Nam 1. Iis adhuc penderit de ovario, nec benè proceditur à cuniculis, qui singularis mensibus pariunt, ad hominem, standum potius à damis Harveij in quibus ovarium nullum est. 2. Quia datò hoc, sed non concessò, & ova ipsa per semen sunt fœcunda, & 3. nihil novi est dari ova putida. Secundò, sanguis menstruus suppressus & circa uterum stabulans facile corrumpi, corruptus semen inficere, uteri obstrunctiones causari, ejusque intemperiem frigidam & humidam accersere potuit. Proximè verò turbas numeratas dant, vapores & halitus terri ac venenati, partim per manifestos vasorum, partim per occultos alios ductus corpus universum, cuius juxta præceptorem μία ξύπνων καὶ ξύπνων μία ἵση, permeantes & præcipue nervoso genere irritato plura in consensem trahentes

hentes. Causa antecedens est viscerum penè omnium, maximè uteri ipsius debilitas, à caloris nativi penuria, utpote partis membranosæ & quæ foeditates totius ferè corporis colligit. Et hæc promovebant externæ causæ, mensa intemperantior, quæ præcipue hoc tempore acetariis, fructibus horæis, raphanis & laeticiiniis apud mulierculas absolvitur, mœror ex obitu mariti, qui humores cumulavit, &c.

V. Hinc intelligitur ratio symptomatum antecedentium, concomitantium & consequentium. Facies defœdatur à cacochymia, quam peperere suppressi menses. Hinc sensus hebetes ab obtusis & depauperatis spiritibus, aut etiam vitiō organorum à cruditatibus obſessorum. Lassitudo ob eandem causam, penuriam nempe spirituum & impuræ ac pigræ plethoræ affluxum. Hinc oscitationes à prandio, à crudarum fuliginum copia. Hinc sensus in hypochondrio quasi voluti globi, forte à flatibus, aut à testibus tumidis, nec videtur absurdum uterum sursum convelli etiamsi non ascendat & hanc speciem præbere. Hinc respiratio læſa, à tetris & confertim ascendentibus vaporibus diaphragma tendentibus, &c. Fauces suffocantur ab iisdem vaporibus quodammodo stypticis aut à quadam nervorum ab iisdem irritatorum convulsione. Hinc pulsus vix perceptibilis, oppreso à malignitate corde tanquam veneno. Hinc jacuit sine sensu & motu, malignis vaporibus invalescentibus & cerebrum ipsum oppalentibus & quidem adeò contumacibus & copiosis, ut quamvis aliquatenus discussi fuerint, ita ut levaretur ægra, manserunt tamen ventris rugitus à flatibus, dolor capitis ab iisdem tendentibus & palpitatio cordis molestiam excussuri, hunc demum naturæ ~~ayōna~~ secuta est lenti ex utero mucoris excretio.

VI. Sed ad ~~ayōna~~. Affectus hic est utplurimum chronicus, adeoque ab adstantibus paroxysmi reditus non abs te metuitur. Nec videtur in hac matrona carere pericolo, cùm & semen & sanguis menstruus vitium fecisse deprehendantur, maximè omnium metuo syncopen, quam malignitas corrupti seminis & sanguinis menstrui intentat ad cor per venas, arterias & occulta alia spiracula missa, quod enim quid præstantius est in statu f. n. ed pejus cor-

rumpitur, lethalis autem est syncope, nam vitæ flammulam opprimit. Metuo item convulsionem ab irritato nervoso genere, ubi aura venenata relicto corde ad cerebrum transmissa fuerit. Quamvis autem periculo non vacet, interim quia primæ vices sunt, & patiens vegeta, tanta labes subesse non creditur, adeoque si medicus, patiens & adstantes ~~ad~~ nos præservando & curando, spes supereft. Si tamen interea paroxysmus gravior ita opprimeret, ut ex apnoia & corporis algore exspirasse videatur, nihil temerè incipendum, nec sepultura maturanda, nec medicus præceps scalpellum infigat aperturus, nisi xxiv. horarum intervallum cadaver esse restetur, nam in Hystericis respiratione ablata, calor sœpe sola transpiratione micat & deploratae reviviscunt. Et revera præceps illa in aperiendo cadavere curiositas nec humani nec Christiani est.

VII. Ex indicatione curativa, facultas sopita ocyus excitanda est. Humores in & extra uterum stagnantes corrupti, maligni, qui venenatae auræ materiam subministrant, prolienciendi, vapores jam elevati discutiendi, caput impennis ab eorum plethora liberandum, nec non cor & diaphragma. Ex indicatione præservativa sanguis ab utero revellendus, derivandus. Semen generantia accidenda. Corpus à cacockymia levandum. Ex vitali vires subito dejectæ promptissimis præsidiis reficiendæ. Juxta has artificiales indicationes cura decenter instituenda ex tribus præsidiorum fontibus, in & extra paroxysmum.

VIII. In paroxysmo, ex chirurgico fonte v. f. licet maximè indicetur, locum tamen non habet ob correputantes vires & oppressum calorem nativum, quæ pulsus tam debilis testatur, nam afflictio non est danda afflictio, nisi omnino manifestum suffocationis periculum incumbat, tunc enim præstat ancipiti prædictione v. f. quām certò periire, postquam simul multa boni successus exempla idem suadent. Secunda autem erit saphæna; tutius tamen est paroxysmi finem si fieri potest exspectare, ne videatur nostra culpa periisse quem sors sua peremit. Affigantur potius cucurbitulæ fine scarificatione femoribus & suris, tum magna umbilico, crura fricentur vehementer oleo laurino, fiant ligaturæ

gaturæ dolorificæ supra genua, pili vellicentur, fiant vociferationes, nomine vocetur & omnia quæ ad excitandam ægram conferunt, adhibeantur. Ex Fonte Pharmaceutico in primo paroxysmi accessu dentur per cochlearia aquæ hystericae aut Aqua antiepileptica Bauhini, additis aliquot guttis ol. camphoræ, Succini, Angelicæ, aut sequens: **rz.** Aq. Melis. Nepet. Puleg. ana 3.j. saccar. opt. 3.vj. Extr. Castor. gr. v. ol. still. Succin. Camph. Angel. ana gutt. vj. d. per cochleare. In ipso verò paroxysmo naribus graveolentia admoveantur, sulphuris accensi fumus, plumarum perdicum &c. pili & coria cremata, aut ex Hippocr. consilio ~~τοις γραμμ. φύσις~~ si alia in promptu non sint, ~~ελάχιστον άνάγκης οὐδὲ διατομές οὐδὲ τίποτε πέπλον, οὐδὲ τὸν καπνόν οὐδὲ τὸν αέρα.~~ Castoreo, galb. sagap. in aceto fortiss. solut. narres illinantur, convenient maximè Balsamum ruta & succini, alternando tamen cum corroborantibus e.gr. ol. spicæ. item quia ex Hippoc. ~~τοις γραμμ. φύσις~~ ~~ελάχιστον άνάγκης οὐδὲ διατομές οὐδὲ τίποτε πέπλον, οὐδὲ τὸν καπνόν οὐδὲ τὸν αέρα.~~ & in prima accessione jam in ægra nostra probatum, infletur in nares sternutatorium. Infernè verò odorata, trochisorum moschatorum fumus infundibulo excipiatur & linimento aliquo odorato e. gr. ex zibeth. moscho, ambra in ol. nardino solutis uteri sinus inungatur, imò docta obstetricis manu his delibuta, materia suppressa proritetur. Tum Emplast. Uterinum August. cum ol. castorei malaxatum umbilico applicetur, & regio umbilici ol. Angel. subinde illinatur. Ad vapores & humores revellendos, ægram excitandam mensesque movendos injiciatur clyster sequens: **rz.** Rad. Aristol. rot. 3 vj. Cyclaminis 3*lb.* Althea Lil. alb. ana 3*j.* Bacc. Lauri 3*lb.* Herb. Puleg. melis. Artemis. ana M. j. Flor. Calend. Chamom. Rom. ana p. ij. coq. in Aq. comm. in Colat. 3*x.* dissolv. El. Hier. pic. Logad. 3*j.* ol. rutac. 3*lb.* Anetbin. 3*iiij.* salù gemma 3*j.* f. l. a. clystera. Si supprimatur, irritetur inditis glandib. ex speciebus Hieræ melle mercuriali exceptis.

IX. Extra paroxysmum è Chirurgico fonte commode petitur v. s. crebra, tam ad revellendum ab utero in brachio, quam ad prolixiendum in pede. Pituita & humores crudi purgentur potionē sequenti: **rz.** Fol. Senna mund. 3*iiij.* Agar. rec. tr. 3*iiib.* infund. per noctem in aq. melissæ q. s. manè colatura expressæ 3*iiij.* adde sirupi de Artemis. 3*j.* Eleck. de succo ros. 3*j.* sumat

tumat cum custodia jejun. stomach. Per intervalla purge-
sur pilulis. e. gr. q. Massæ Pil. sordid. 3 j. Extr. beton. sabine ana
3. Extr. croci gr. vij. Resin. Falapp. Diagrid. ana gr. v. f. Pilula pisi
magnit. deaurentur & insperg. pulv. cinam. dos. 3 j. Eleutharium
suprà descriptum hic quoque conveniet ad roborandum. Ad
noctem verò Emulsiones ad temperandum fervorem sanguini-
nis. Externè unguentum de cerussa cum saccaro Saturni &
Caphura, internè semen Agni casti in forma pulv.

X. Diæta ergo conveniens hic multum poterit. Aër
sit temperatus, vitet ventos frigidos, præcipue sub & in pe-
riodo menstrua & lotiones in aqua frigida, hæc enim fluxus
cohibent. Decumbat in lecto laneo, vietus sit siccus, tenuis,
abstineat à flatulentis, crudis, præsertim ab acetariis quæ so-
la paroxysmum causari possunt, hic maximè tenendum in
ratione vietus illud Homericum, ὀλιγων φίλοντε. Vini potus pa-
rooxysmum accelerat. Substituantur Apozema ex Rad. scen. c.
aspar. galang. brion. Herb. Meliss. Puleg. Artem. Beton. &c.
Thermae sulphureæ potenter operantur, it. Incessus & pedi-
livia, e. gr. q. Rad. Aristol. rot. 3. Althea, lil. alb. ana 3 ij. Herb. mer-
cur. mentha, puleg. malva ana M. ij. Flor. Chamom. Sambuci ana
p. iij. sem. lini 3 j. Carvi, cumini ana 3. iij. Bacc. Lauri 3. Incisa &
contusa indantur sacco, cui infideat ægra in semicupio. Exer-
citiis corporis & labori assuescat, somnus sit brevis, vitet iram,
tristiam, quarum illa humores concitat, hæc verò colligit.
Cætera recepto sunt commendanda marito. Placuit hæc eru-
ditis aliorum pro præsenti matrona discursibus subjungere.

CASUS TERTIUS

Propositus

ANNO M DC LXXIV. v. Martij.

Uxor cuiusdam annorum XLVIII. venis exilibus, habitu
corporis molli, obesa, in somnum proclivis, vietu pravo,
leguminibus, horris fructibus & id genus alius vesci solita,
mammæ & abdomen cum mensum suppressione intumescere
videns, se se tanquam gravidam componere cœpit omnesq.
injurias quibus alias gravida obnoxia esse solent, sedulo vi-
tavit.

ravit. Namque, exacto quinto mense attendit ad motum fatus, sed nullum advertit, preter molem quandam saxeam impensè gravantem, sentit adhac dolorem dorsi & lumborum. Mamma rument, sed lactis nulla indicia, nisi serosa cujusdam materia proventus saltim observatur. Abdomen indies elevatur, sine flatuum sensu vel Hydropis signo, tumor tamen non est prominulus, sed declivior. Usque ad septimum mensem inter spemque metumque se continens, cum nulla graviora signa affulgeant, hodie erupit in querelas, & Medicis oculis se subjiciens querit doceri anxia, an dignum sit tam blando fons id, quod alias non sine molestia portat.

C O N S I L I V M .

I. Natura nunquam est otiosa, sed prout aptum vel ineptum subjectum reperit ἀποδέσται τὸν οὐρανὸν & μεγάλην. Epid. 6. § 5. agit in id & producit quod subjecti ratio fert. Videmus manifestè operantem naturam in paciente hac, quæ post longam spem hodie desperabunda collegium nostrum consuluit. Nunc ergo justæ ejus petitioni ut decet assurgentes, num baula sit potius quam foeta methodicè examinemus.

II. Cognoscendum statim venit temperamentum, quod frigidum & humidum vulgo pituitosum esse nos docent proximè res καὶ φύσιν, quarum potissimum Medicus Ordinarius in casu transmissio meminit, ipsa nimirum patientis φύσις, ἡλικία καὶ ἔτη, Natura, ætas & habitus, Fœmina enim est, ἀπόφενθαι τὸ δῆλον Ψυχόπτερον φύσιον. Est senio propior, at γέρεστον ὁλήσαντος θεμοῦ 1. aph. 14. Contrà πάμπολον εἰσὶ ὄχυμος φλεβῶνταδις juxta Gal. Venis exilibus, quas in sanguineis calor dilatat. Obesa, à dulci pituita, πιελὴ γάλε ψυχὲν ἔχεως ἀεὶ γινεται, Galen. c. 9. l. 2. de Temp. Habitū corporis molli, fibræ enim pituita perfusæ arctiùs compingi non poterant. Conspirent in pituitam πάμπολον. ψφα. legumina, fructus, &c. πάπιερδια πάπιερδια καὶ πάπιερδια, παραπίονα, oportet. Conspirat & ipsa ὥρη seu tempestas, hemis nempe prægressa, quatenus τὸ καιρὸν ταῦτα τὸ σῶμα φλεβῶντα juxta Hippocr.

III. Pars affecta sine dubio uterus est, tumor enim nec in hypochondrio se prodit, unde suspicio sit visceris alicujus affecti,

affecti, nec in ipso abdominis cavo, nam nec flatibus distenditur, nec sero hydropicō turget & consensus cum mammis turgentibus abundē evincit, idem probat doloris dorfi & lumborum accessio, ac mensium suppressio. Affectus ipse est morbus organi, uteri nempe constipatio & quantum signa tam ~~ἀναυτηντος~~ quam ~~ἀργυρωτος~~ ostendunt, est *Mola*, vide sis *Hippocr.* ~~εἰδία φροντίδας~~, §. XX. Non est morbus in numero, alias molā carentes essent mutilæ. Molam esse evincit congenerum ~~ἀρρώσις~~. Signa enim Hydropis nulla nec flatulentæ, nec aquosæ adsunt. Nec fœtus est perfectus ac vivus, quia motus spontaneus quemadmodum nec quarto nec quinto mense patienti satis attendenti apparuit ullus, ita nec hodie, cūm se- ptimus agatur mensis, & lactis in mammis nulla indicia. Nec fœtum mortuum facile pronunciem, eadem ratione, quia ab initio in utero non subsiluit. 2. Quia hæc sarcina crescit in dies manifestè, contrà in fœtu mortuo. 3. Nec cadaveris putridi ulla signa comparent, ut lipothymia, halitus tetri, &c. Nec verò scirrum ulla præcedanea φλεμφόν evincit, nec in tantam molem surgit promptius in cancrum degener & durior & sine congressu oritur.

I V. De causa ita *Hippocrates* ~~εἰδία φροντίδας~~, §. XX. ~~εἰδία μύλης~~ ~~κυκλικῆς τοῦ αἵπον, ἐπειδὴ πολλὰ τὸ ἀποτέλεσμα ἔχει τοῦ οὐρανοῦ καὶ τοῦ θεατροῦ, σεmen enim quod alias opificis officio fungitur tanquam principium effectivum validum, antequam prima partium stamina ponat, à copioso sanguine inundatur. Causa autem primaria est vis plastica agens in genituram ineptam tam maris quam feminæ sociatam, quæ ob debilem calorem in utero frigido & semine morboſo mox aberravit. Egit eadem vis in sanguinem quoq; ad hoc à conceptione suppressum, at qualem sanguinem, ineptum certè ut ex eventu videmus ad perfectum opus. Infœcunda ergò hæc principia Natura informare molita produxit quædam lineamenta, unde venæ, arteriæ, membranæ, sed nulla integra partium formatio successit, ob errorem primum. Sanguis per efficta vasa tamen prolectus affluxit ad uterum & in massam concrèvit, quæ tuberis instar indies incrementum in molem informem sumfit.~~

V. Hinc lapsu temporis processit tam abdominalis tu-

mor quam uteri gravans dolor, quia haec moles uterum gravando simul vicina trahit, & proxime uteri ligamentum latum, hinc dolor dorsi & lumborum, gravat autem moles adeo, quia non natat in liquore circumfluo ut fetus, hinc mola minor fetu majore plus ponderat. Causa antecedens fuit totius corporis frigida, pituitosa illuvies quam uterus quoque scatebat. Hinc quale nutrimentum tale & nutritum. Malum externè & promovit & confirmavit vietus pravus materiam crudis humoribus subministrans, & somnus longior revocato ad interiora calore ad incrementum hujus carneæ massæ multum contulisse videtur.

VII. Περὶ γυναικῶν. Mola per se adeo periculosa non est, & saepe sponte rejicitur trimestrī, quadrimestris. At haec septimum mensē attigit manifestō indicō arctioris cum utero nexūs, atque adeo quemadmodum nunc non sine molesto dolore portatur, ita nullus dubitem quin expulsio vel irrita vellaboriosa & dolorosa futura sit, ac larga haemorrhagia sequatur. Hinc Hippocratis consilium est στέλλει αφορᾶν §. xx. μεταστάθη τὸν ἡμέραν εἰδί τον, προεπόνθετον ἡμέραν aut non curare aut cum prædictione, ratio est, quia si tam firmiter hærebat & una continua massa sit, incassum tentantur omnia. Sed siquidem tentanda via est, citò fiat.

VIII. Quia verò methodum preimus δέσποτον τῷ περὶ γυναικῶν στέλλειν γέγονον monente Gal. Indicatio ergo curativa haec erit: Constipatio est, hinc causæ continentis sublationem indicat, atque sic expultrix uteri irritanda est. Sed quia mola septimestris est, & contumaciùs hærere colligitur, vincula quæ alligant in antecessum emollientibus laxanda, tum expulsio tentanda est. Indicatio Præservativa: Accidenta omnia quæ hanc massam vel mediatè vel immediate nutritiunt, peri Diætam, Chirurgiam & Pharmaciam. Indicatio vitalis: si inter operandum vel excludendum ægra deficiat roboretur promptè cardiacis.

XVIII. Ex fonte Chirurgico, v. s. petenda, quamvis enim non sit plethorica ad vasa, est tamen talis ad vires. Præmisso ergo clysmate mox dicendo, secetur primùm vena brachii, post vena poplitis vel malleoli. Facient haec ad minendum massæ nutrimentum, inservient ad præcautionem φλε-

ημένις uteri alias ex dolore metuenda. Item eadem intentione cucurbitulae siccæ femori applicentur, prolectâ enim materiâ mola quoque simul moveatur oportet. Hippocrates vult ~~οὐδὲν αὐτὸς οὐδὲν ταῦτα τὰς κακάς, nec abs re.~~

IX. Ex fonte pharmaceutico ante v. f. injiciatur sequens clyisma : $\text{ρ} \cdot \text{Rad. brion. } \frac{3}{2} \text{j. Ciclam. aristol. rot. ana. } 3 \text{ ij. Herb. atripl. mercur. artemis. puleg. } \frac{2}{3} \text{ M. j. Fol. sabin. p. j. sem. alth. fenicul. cartham. } \frac{2}{3} \text{ iij. summit. Centaur. min. beton. } \frac{2}{3} \text{ p. ij. pulp. et colocint. in per. lig. } \frac{3}{2} \text{ B. coq. in aq. com. cape de colat. } \frac{1}{2} \text{ B. j. in quib. dissolv. bened. lax. ol. lil. alb. sacch. rub. } \frac{2}{3} \text{ j. salis } \frac{3}{2} \text{ j. f. clyisma. Purgetur corpus infuso agarici. Corpore purgato ad laxandum vias intret semicupiū ex mollientib. uterinis & pellentib. paratum, & ab egressu pubi perinæo & ossi sacro applicetur emplast de mucilagin. att. catapl. sequens. $\text{ρ} \cdot \text{Fol. malv. altheæ } \frac{2}{3} \text{ M. j. Flor. Chamam. melilot. samb. } \frac{2}{3} \text{ p. ij. Far. sem. lini, fænugr. } \frac{2}{3} \text{ M. j. Ficuum n. iv. coq. in q. f. laetis vaccini ad consist. catapl. calidè applic. addita croci } \frac{3}{2} \text{ j. Eadem regiones ol. diacoloc. & cheirino inungantur. Laxatis ita viis & vinculis, detur potio sequ. pro duab. dosibus matut. } \text{ρ} \cdot \text{Aq. meliss. beton. sabin. ana } \frac{3}{2} \text{ j. aq. cinam. } \frac{3}{2} \text{ B. trochisc. de myrrha } \frac{2}{3} \text{ ij. sirup. de artemis. Fern. } \frac{3}{2} \text{ j. m. f. Potio. Tum ineat usum Pilularum seq. } \text{ρ} \cdot \text{Maf. pil. de ammoniac. Q. } \frac{3}{2} \text{ B. Extr. croci, beton. troch. de myrrha ana } \frac{2}{3} \text{ B. m. f. Pilule cum ol. sabin. gutt. ij. deaur. & insperg. pulv. cinamomi, prætrib. dosib. Non negligendi infernè suffitus ex myrrha, borrace &c. Pessis sollicitetur pigrior expultrix. } \text{ρ} \cdot \text{Rad. Hell. nig. Ciclam. pulverisat. ana } \frac{3}{2} \text{ j. sabinæ pulv. } \frac{3}{2} \text{ B. myrrha, croci ana } \frac{2}{3} \text{ j. cum f. q. mellis f. s. a. pessi crabit. digiti, non diu retinendi, ne uterum exulcerent. Sternutatio moveatur sed ore & naribus clausis. Expulsa molâ si dolor ingens & hæmorrhagia subsequatur, cura decenter è vertenda.}$$

X. In Diæta victus non sit plenus, ne mole incrementum sumat, humidior aër non nocet, nam morbus potius, quam ægræ constitutio, respiciendus. Corpore purgato corpus vehementer exerceat, ut præcipitet molesta moles. Potus sit vinum album, vetus, tenui, simplex, vel medicatum. Si verò omnia omnino frustra tententur, aut planè naturæ relinquatur, aut manus admoveatur.

Regula aurea in agendo : $\mu\eta\pi\delta\mu\eta\mu\gamma\lambda\delta\sigma\eta\pi\eta\mu\eta\eta$,
 $\delta\delta\eta\pi\mu\gamma\delta\alpha\tau\eta\pi\eta\eta$.

GNO.

GNOMÆ MEDICÆ.

1. Nullum alimentum (nec medicamentum) omnibus est idem.
2. Quod sapit, nutrit.
3. Ventris impuritas omnium confusio.
4. Præstat hominem saturum jejunare, quam jejunantem se satiare.
5. Ignora nobis sunt per quæ vivimus.
6. Viciſſim & ſenſim quod fit, tutum.
7. Quæ non excipiunt, non concipiunt.
8. Læſio melior morte.
9. Temeraria experientia finis certa mors.
10. In juvene nunquam desperandum, in ſene nunquam fidendum.
11. Periculosus est saltus à lecto ad mensam & viciſſim.
12. In curando vires ſuperant morbum, & morbus conſuetudinem.
13. Omnis bonus sudor calidus eſt, non contraria.
14. In crifi medicus eſt ſpectator non actor.
15. Mensura mensium euphoria eſt.
16. Cedit melancholicus morbus cedentibus medicis.
17. Omne vulnus quod intra tres dies non glutinatur, tumescit.
18. Affectus pulmonum damnoſi magis quam terribiles.
19. Omnis Icterus durò hypochondriō eſt ſympomaticus.
20. Sudor sudori cedit.

ANNEXA.

- I. Hepatica dignitatis studiosi merito sumus, quicquid tententur vefillones.
- II. In sudore vultus tui vesceris pane tuo, eſt tam pena quam medela.
- III. Tauri ſanguis eſt venenum quovis bacillo corrigibile.
- IV. Mensum ſuppreſſio eſt ſignum laetiſ non cauſa, nec ſupprimuntur ut lac fieri, ſed deficiunt quia lac fit.
- V. Cartesius, ſi quod ad calcem ſua methodi in Medicina reformatione ſe aſſe-
ceturum ſperat, faciſſet, ex lege principiorum ſuorum, Methodicorum
veterum placita interpolat.
- VI. Qui antiquitatē Chymia ſub veterum Poëtarum fabulū delitescere mu-
tant, eodem argumento commode refutantur, quō Astrologos judicialios
M. Basilius in Hexaemero ὥμιλ. 5. cepit: Cogitent enim, num Drago
Poëtarum prius exſtitit, vel Draco minorarum.

Α' Μὰ τῷ μὲν τέτων ἐπιτοσθτον,

Δόξα δὲ τὸν ψίχους Θεῶ.



